

1538

peditum millibus persolvi; viginti millia equitibus sufficere, ea omnia præsto esse. Contra vero dimissis Germanicis copiis, quæ nunc in Illyrico essent, hostem sustineri non posse: nihil pertimescentem ad Obroatium oppugnandum venturum; inutili cunctatione, pravo consilio occasionem, quæ benignius sese offerret, prætermitti, qua Illyrici provincia firmari possit: regio frumenti ferax, glebæ ubertate fecunda, unde amplius vigintiquinque aureorum millium proventus extarent, Reipublicæ adjici, quo insularum, quæ in Aegæo amissæ fuerant, damna compensarentur: neque tandem extremo loco ponendam esse, quæ ex Germanorum missione genti iracundæ injuria inferretur, ad quam si insito quodam militum ardore ulciscendam raperetur, Carnorum agros direptionibus universos patere: aliis autem temporibus suam operam Reipublicæ pernegaturos, non citra Bajoariæ Ducum molestiam, qui pecuniam mutuam dedissent, atque a Regis Galliarum stipendiis ad Rempublicam milites transtulissent. Hæc ab Haimo differebantur.

*Oratio
Aloyfii
Gradonici.*

*Aloyfius Gradonicus, Consilii Sapiens, rerum conditiones, ajebat, minime exposcere, ut hoc tempore haud exiguis sumptibus bellum in Illyricum adversus Turcas moveretur, atque curæ, & cogitationes a classe, qua Reipublicæ incolumitas nitebatur, abducerentur, in qua non tantum roboris, ac virium esset, quantum ad bellum sustinendum requiri videretur: milites ad paucitatem redactos, alios ægritudine correptos, alios inermes: fœderatorum auxilia nondum in promptu esse; Pontificem ex triginta duabus triremibus vix quatuor ac viginti parum instructas habere; Carolum adhuc neque terra, neque mari quidquam aggressum esse: Chariadenum contra, ingenti, atque instructissima classe Hellesponto egressum cuncta infesta habere; ubique cadibus, incendiis, direptionibus sevi-
re. Cur igitur novo consilio, a quo Urbinas, summæ virtutis, ac rei militaris peritiæ imperator, abhorreret. difficillimum Illyrico bellum susciperent? cum præsertim hostes cum exercitu in Pannoniam iter fecissent, atque Illyrici populis tandem respirandi facultatem dedissent. Lacefferentne hostem, atque abeuntem revocarent? illiusque arma, quæ nuper experti fuerant, iterum in Illyrici intima loca elicerent, ac traherent? Scilicet duo parva oppidula tanti esse, ut exigua illorum mer-*